



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CXV. Der Bischof Heidenreich vereinigt die Kirche zu Plessow als Filial mit der zu Plötzin, im Jahre 1287.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

ricus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, tenore presentium notum facimus tam presentibus quam futuris, quod remedio anime nostre salubriter intendentes advocatiam ville Mertzane ad nos pleno jure nullo medio pertinentem dilectis dominis nostris, preposito, priori et capitulo dicte nostre Brandenburgensis ecclesie liberaliter dedimus et legavimus, nomine testamenti, ad eosdem perpetuo pertinentiam, nichil omnino juris nobis in eadem aliquo modo reservantes. Ne igitur hec nostra donatio per nos vel quemquam successorum nostrorum in posterum valeat irritari, presentibus, de certa nostre conscientia conscriptis, sigillum nostrum in testimonium duximus apponendum. Datum Brandenburg, anno domini M^o. CC^o. LXXX^o. VII^o. III^o. nonas Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Nach dem Originale.

CXV. Der Bischof Heidenreich vereinigt die Kirche zu Plessow als Filial mit der zu Plösin, im Jahre 1287.

Heydenricus, dei gratia episcopus Brandenburgensis, omnibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in domino sempiternam. Ne ea, que aguntur in tempore, simul labantur cum tempore, consuevit ea verenda antiquitas scripti memorie commendare. Hinc est, quod ad communem notitiam hominum cupimus pervenire, quod nos usi consilio peritorum et de consensu capituli Brandenburgensis ecclesiam Plesowe, que quondam de villa Stargesere, nunc destructa, extitit filia subjecimus et adunivimus ecclesie in Plotzin, et is, qui pro tempore plebanus in predicta villa Plotzin extiterit, sepedictam ecclesiam in Plesowe tanquam filiam officari per se vel per alium procurabit. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Brandenburg, anno domini M^o. CC^o. LXXXVII^o, pontificatus nostri anno primo.

Nach der Copie im Copiarie.

CXVI. Der Bischof von Brandenburg, Heidenreich, und von Meissen, Withego, verbinden sich zu gemeinschaftlicher Abwehr von Anfeindungen durch Bann und dergleichen, am 8. Jan. 1288.

Venerabili in Christo patri ac domino, Heidenrico episcopo, Thiderico preposito, Conrado priori totique capitulo ecclesie Brandenburgensis Withego, dei gratia episcopus, Bernardus prepositus, Sifridus decanus totumque capitulum Misnensis ecclesie, subscriptorum omnium perpetuam firmitatem: Multorum bonorum persepe torpet neglecta commoditas eo, quod ad restaurationem commoditatis hujusmodi nullius invigilavit intentio, nullius animus insudarit sed processu temporis ad hoc aliquo sine mentis aciem dirigente, ipsa restauratur commoditas et restaurata suis cooperantibus pacis et quietis tribuit incrementum. Hinc est, quod cum, pluribus tractatibus habitis, jam simul evidenter experti, et tam vobis quam nobis consultum et utile videatur, ut propter frequentes predonum, raptorum et malefactorum insultus et turbationes, quas quotidie patiuntur ecclesie eedem, aliquo saltem et mutue subventionis ac confederationis remedio subvenirent, sane credimus,